

HVLDRICVS DE ARGENTINA.



HVldricus ille Albertum magnū Coloniae profitentem praecceptorem habuit. eum cum diligenti studio audiret, & audita repeteret, atq; cum alijs conferret, breui in uirum doctissimum euasit. Postea ordinem Dominicanorum literarum desiderio ingressus, magna documenta sui ingenij addidit. Erat is in sacris & humanioribus literis optime instructus, ingenio subtilis, & sermone scholasticus. Composuit in sua cella non spernendae lectionis opuscula, quibus praesentibus & futuris innotuit, idq; temporibus Rhodolphi Caesaris, anno 1280. utpote summam Theologiae, super sententias, de anima, cum multis alijs. atq; hoc modo studijs inui-

gilans, tandem in Domino obdormiuit. Trit.